UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Calvmniator. Descriptio XLIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68724

Visual Library

vnum ad exemplum aliorum damnat ſuſpē-
dio, teſtes, & lapides fœno mollire aſſiduè fri-
cando conatur, & cum à pulicibus pungitur,
iam vos, inquit, peſſima animalcula, bellè de-
cipiam: nam cādelam extinguam, ne me mor-
ſiunculis appetere poſſitis.

CALVMNIATOR.

Deſcriptio XLIV.

Ex Ammanio &c.

CAlumniator iſte, quem videtis, non eſt
homo, ſed lamia omni diritate teterri-
ma: ſine fronte, ſine oculis, ſine conſcientia;
monſtrum planè horribile, cui ſoli prominēt
dentes turpi rubigine infecti, cui feralis pal-
lor, cui deformis macies, cui nudata carnibus
oſſium compages reſtat. Draconis alicuius pe-
ſtilentem ſceleton, aut exſiccatum cadauer di-
ceres. Quid tum? dignam hanc ferali effigie
vocem, aut potius ſibilum emittit, per forum
medium ſerpit, dentibus aduncis, aſpectu ra-
bido huc, & illuc circumſpectans, ſi quem re-
periat, cui aliquid mali faucibus efflare, quē
ore attingere: dentibus inſecare: lingua con-
ſpergere poſſit, hinc licentius ſupergreſſus
fluminis modo fortunis ſeſe complurium
repentinus infundit, fertur per ſtrages multi-
plices, ac ruinas, vinculis corpora ingenuorū
affligens: & quoſdam obterens manicis, cri-
mina ſcilicet multa conſarcinando, à veritate
longe diſcreta, vt eſt in complicandis negotijs
artifex dirus, inde & Catena inditum eſt co-
gnomen.

Cicer. 4. ad Herenniū.

Ammia.

OSTENTATOR.

Deſcriptio XLV.

Ex Cicerone 4. ad Herenniū.

ISte, inquies, iudices, qui ſe dici diuitem, pu-
tat eſſe præclarum, primum nunc videte,
quo vultu vos intueatur: nonne vobis vide-
tur dicere; Darem ſi mihi moleſti non eſ-
ſetis: cum verò ſiniſtra mentum ſubleuat, e-
xiſtimat ſe gemmæ nitore, & auri ſplendore
aſpectus omnium perſtringere. Cum puerum
reſpicit, hunc vnum, quem ego noui (vos non
arbitror nouiſſe) alio nomine appellat, deinde
alio, atque alio; heus tu, inquit, veni Sannio,
ne quid iſti barbari perturbent: vt ignoti, qui
audiunt, vnum putent eligi vnum de multis.
Ei dicit in aurem, aut vt domi lectuli ſternā-
tur, aut ab auunculo rogetur Aethiops, qui ad
balneas veniat, aut Aſturconi locus ante oſti-
um ſuum detur, aut aliquod fragile falſę cho-
ragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat,
vt omnes audiant, videto vt diligenter nume-
retur, ſi poteſt ante noctem: Puer qui iam be-
nè hominis naturam nouit, tu illo plures mit-
tas oportet, inquit, ſi vis hodie tranſnumera-
ri. Age, inquit, duc tecum Libanium, & Soſi-
am, ſanè deinde caſu veniunt hoſpites homi-
ni, qui iſtum ſplendidè dum peregrinaretur,
receperant, ex ea re homo hercule ſanè con-
turbatur: ſed tamen à vitio naturæ non rece-
dit: benè inquit, facitis, cum venitis, ſed recti-
us feciſſetis, ſi ad me domum rectà abijſſe-
tis. Id verò feciſſemus, inquiunt illi, ſi domū
nouiſſemus. At iſtud quidem, inquit, facilè
fuit, vnde libet, inuenire. Verum ite mecum.
Sequuntur illi: ſermo interea huius conſumi-
tur omnis in oſtentatione. Quærit in agris,
cuiuſmodi frumenta ſint: negat ſe, quia villæ
incenſæ ſunt, accedere poſſe: nec ædificare e-
tiam nunc audere: tametſi in Tuſculano qui-
dem cœpi inſanire, & in ijſdem fundamentis
ædificare. Dum hæc loquitur. Venit in ædes
quaſdam, in quibus ſodalitium erat eodem
die futurum, quò iſte pro notitia Domini æ-
dium, ingreditur cum hoſpitibus; hic, inquit,
habito: perſpicit argentum, quod erat expoſi-
tum, viſit triclinium, ſtratum probat: accedit
ſeruulus, dicit homini clare dominum iam
venturum, ſi velit exire: Itane inquit? eamus
hoſpites, frater venit ex Salerno, ego illi ob-
uiam procedo: huc vos decimâ venitote. Illi
decima quò iuſſerat, veniunt, quærunt hunc,
reperiunt domus cuius ſit: in diuerſorium
deriſi ſeſe conferunt. Vident hominem poſte-
ra die: narrant, expoſtulant, accuſant: Ait iſte
cos ſimilitudine loci eſſe deceptos, Angipor-
to toto deerraſſe: contra valetudinem ſuam ſe
ad multam noctem expectaſſe.

Sannioni puero negotium dederat, vt vaſa,
veſtimenta, pueros, corrogaret, Seruulus non
inurbanus ſatis ſtrenuè, & concinnè compa-
rat, iſte hoſpites domum deducit Ait ſe ædes
maximas cuidam amico ad nuptias commo-
daſſe: Nuntiat intereà puer argentum repeti;
(pertimuerat enim, qui commodarat) Apage
te, inquit, ædes commodaui: familiam dedi,
argen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN